



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theses Historico-Theologicae De Doctrina Semi-Pelagianorum Circa Praedestinationem Et Gratiam Christi Quatenus Improbata A S. Augustino Et aliis Sanctis Patribus gratiae Christi Defensoribus**

**Huygens, Gommarus**

**Lovanii, [1683?]**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40628**



Th. 2170.

G. IV  
3.





THE PHILOSOPHY OF  
IMMEDIATE  
APPENDIX  
PROPOSITIONS



T H E S E S  
HISTORICO-THEOLOGICÆ  
D E  
DOCTRINA SEMI-PELAGIANORUM  
C I R C A  
P R Æ D E S T I N A T I O N E M  
E T  
G R A T I A M C H R I S T I  
Q U A T E N U S I M P R O B A T A

S. A U G U S T I N O

Et aliis Sanctis Patribus gratiæ Christi Defensoribus.

Q U A S P R Æ S I D E

EXIMIO VIRO DOMINO AC MAGISTRO NOSTRO

GUMMARO HUYGENS LYRANO,

D E F E N D E T

JOANNES BEAUVER Gemblacensis

In Collegio ADRIANI VI. Pontificis die 5. Februarii 1683.



L O V A N I I .

Typis GUILIELMI STRYCKWANT sub aurea Lampade.

CONCLUSIO PRIMA.



Ovit Author Thesum adversus quem agimus , novi & ego , quibus displiceat resuscitari antiquam contentionem de sensu Cornelii Jansenii. Quod me attinet ob religiosam observantiam quam illis debeo , firmiter statui eâ de causâ Jansenium ( idem dico de Baio ) non solum in hisce Thesibus , sed & in nullis aliis , ne nominare quidem. Optem sanè , nec levi desiderio , ut eadem etiam sit mens Adversariorum nostrorum , siquidem non minùs illi quàm nos istis , utpote communibus nostris superioribus , debent religiosam observantiam , nec minùs illi quàm nos publicæ paci studere debent.

**E**X titulo hisce Thesibus præfixo non difficilè colligitur quod mens nostra non sit omnem Semipelagianorum doctrinam circa Gratiâ Christi , dicere à S. Augustino , & aliis SS. PP. Gratiâ Christi Defensoribus esse improbatam. Absit enim à nobis ista ineptia , ut quia Semipelagianorum quidam circa Gratiâ articuli reprobati sunt , idcirco omnem illorum doctrinam , etiam de gratiâ Christi dicamus reprobata : siquidem Authores doctrinæ reprobatae possunt circa eandem materiam etiam habere aliquos articulos sanos. Prorsus ergo rejiciendus hic accusandi modus : *Lutherus , Calvinus , &c. tenet aliquem sensum circa gratiam , aut libertatem , quem Lovanienses tenent ; ergo Lovanienses de libertate & gratiâ malè sentiunt.* Ut rem per Semipelagianorum exemplum declarem , patet ex ipsomet Augustino , potissimùm in l. de bono persever. quod , excepto fidei initio & perseverantiâ quidam eorum circa reliqua ( ut sunt fidei augmentum , castitas , patientia , &c. ) cum ipso Augustino consenserint : an idcirco culpandus Augustinus , quasi ipse de gratiâ Christi necessariâ pro fidei augmento , castitate , patientiâ , &c. malè senserit ? An , inquam culpandus Augustinus quia circa Gratiâ Christi docuit aliquid quod etiam Semipelagiani docuerunt ? Nunquid intolerabilis est hic accusandi modus , cum pari ratione per illum etiam quilibet Symboli Apostolici articulus improbandus ostendatur , quod nimirum assertus fuerit ab aliquo , quocumque tandem , qui circa eandem materiam simul habuerit sensum aliquem hæreticum ? Eritne Adversariorum nostrorum aliquis qui illum contra se ferat ? An quia , ex. gr. Diatriba R. P. Estrix , & quædam alia ejus scripta Romæ prohibita sunt , idcirco accusandi sunt omnes Societatis Jesu Theologi qui habent doctrinam aliquam , aut sensum communem cum P. Estrix ? Nemo , credo Theologorum Societatis , ne quidem Discipulus & subditus dicti R. P. hoc argumentandi genus contra se admittet : Et tamen Societatis Theologi , & potissimùm ille contra quem sæpiùs jam egimus , non desinunt istum in modum jam ab annis aliquot accusare Lovanienses. Nihil enim penè aliud ex ipsis auditur , quàm *hoc illudve tenetur à Lovaniensibus quod etiam tenent Lutherus , aut Calvinus , ergo mala est doctrina Lovaniensium.* Hæc enim sunt præcipua , imò unica tela , quibus sive ipsi , sive doctrinæ illorum sequaces , Lovaniensium de Gratiâ Christi sententiam oppugnant , prout videre est ex tot libellis anonymis , aut nomine mentito adversus Lovanienses editis. Nihil etiam aliud sonant eorum Theses in eâ parte quâ ipsæ doctrinam Lovaniensium de Gratiâ Christi impugnant. Hinc Theses ultimæ quas sæpè designatus Author adversus nostras de doctrinâ S. Augustini circa Gratiâ Christi 14. Jan. 1683. defensas edidit , sicuti totæ sunt ad impugnandum doctrinam nostram , vel potius Augustini de Gratiâ Christi , ita totæ sunt in invalido illo argumentandi genere. Invalidum prorsus dico illud argumentandi genus : quia nîl notius quàm Lutherum & Calvinum , etsi circa Gratiâ & libertatem habeant aliquos sensus damnatos , tamen circa eandem habere aliquos sensus Orthodoxos : nam evidens est dictos Authores , & quoscumque alios , circa eandem materiam posse habere quosdam articulos hæreticos , & quosdam Orthodoxos ; ac similiter quosdam sensus

sus hæreticos & quosdam Orthodoxos. Designanda ergo foret doctrina hæretica, aut hæreticus sensus Lutheri, vel Calvinii, in quo cum Lutero vel Calvino consentiant Lovanienses. Iterum dico, designandam esse hæreticam doctrinam, aut hæreticum sensum Lutheri aut Calvinii in quo ipsis consentiant Lovanienses. Jam toties petivi, & iterum peto circumscriptis terminis exprimi doctrinam hæreticam, vel sensum hæreticum quem circa gratiam teneant Lovanienses: sed hæcenus frustra. Pergitur interim in invalido illo argumentandi genere: hoc illudve tenetur à Lovaniensibus quod etiam tenent Lutherus, &c. ergo &c. Et, quod mirum, etsi Lovanienses sententiam suam clarè probent ex his Scripturæ S. locis, *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti? Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Deus est qui operatur in vobis velle & perficere. Faciam ut in præceptis meis ambuletis, & mandata mea custodiat. Vobis datum non solum ut in eum credatis, verum etiam ut patiamini pro illo, &c.* valet Adversariorum nostrorum iudicio plus ad improbandum Lovaniensium sententiam illud jam sæpius culpatum argumentandi genus. Similiter etsi Lovanienses, prout in nostris Thesibus de sententiâ S. Augustini fecimus, clarè ostendant sententiam suam de necessitate gratiæ per se efficacis in hoc statu esse ipsissimam S. Augustini; præterit ille adversus quem agimus probationem, quantumvis clarè ex Augustino, & solutionis loco sufficit ineptum istud argumentum, jam toties à nobis culpatum, sextentis ab Adversariis usurpatum. Ex quo procedendi modo rectè conficiunt Lovanienses hæc duo: 1. Sententiam suam esse reverà S. Scripturæ conformem. 2. Rectè ab illis esse probatum quod sit ipsissima sententia Augustini. Etenim signum est quod Adversarii nostri nihil habeant alicujus momenti quod reponant, cum semper recurrant ad argumentum illud adeò imbecile. Porro ut occasione Thesium nostrarum de hoc postremo, scilicet quod nostra sententia sit Augustini aliquid speciale dicam, Theses nostræ adeò proluxæ totæ erant in eo ut probarent quod S. Augustinus non solum ad perseverantiam, sed etiam ad reliquos actus bonos in hoc statu requisiverit gratiam per se efficacem. At verò si Adversariorum iudicio intentum non rectè probaverim, Thesibus nostris opponendæ erant ab Adversariis Theses quæ ostenderent Augustinum aliter sensisse quàm nos vel probationes nostras tam operosas à nobis ex Augustino allegatas in aliquo deficere. Verum secus visum Adversariis, quia nimirum non obscure videbant irritum fore suum conatum, & nos rectè probasse quod doctrina nostra de necessitate gratiæ efficacis sit ipsissima Augustini: hinc ut saltem respondisse viderentur, arripuerunt rursus unicum suum telum, nimirum jam sæpius dictum, sed nunquam fortè satis culpatum argumentandi genus: hoc rursus tenetur in his Thesibus quod tenent Lutherus, & Calvinus; ergo &c. Argumentum istud, si illi quidquam deferas, coget te ut pro Scriptura sacra, Augustino, & aliis SS. PP. Lutherum, aut alios libros prohibitos censeas pervolvendos; ac scrutandos, quò tibi securè compares doctrinam orthodoxam de libertate & gratia Christi: quin non difficile hinc evincemus argumento, ut vocant, ab absurdo, lectionem hæreticorum & prohibitorum librorum passim esse permittendam; Epistolarum verò Pauli, & potissimum ad Rom. ac S. Augustini adversus Semi-pelagianos passim esse dissuadendam.

#### CONCLUSIO SECUNDA.

**N**on solum nostram, & aliorum Lovaniensium doctrinam sed etiam ipsius Augustini, dicto argumentandi genere, suspectam fecerunt, Lovaniensium, vel potius ipsius Augustini Adversarii, ut meritò Majores nostri in præfatione Censuræ Lovan. de illis conquerantur quòd per eos Augustinus de *Lutheranismo & Calvinismo suspectus reddatur, tanquam imperitus, stupidus ac cæcus habeatur, ut non modo gratiæ ipsius, de qua diserebat, vim naturamque nescierit, sed nec arbitrii humani libertatem, ne monitus quidem, dogmate suo evertere se senserit.* Sed aliter visum est ipsi Ecclesiæ, Summis Pontificibus ac SS. PP. à quibus doctrina S. Augustini tot elogiis toties probata, fuit. Perperam proinde adver-

sùm doctrinam Augustini ( quam in nuperis Theſibus probavimus etiam eſſe noſtram ) allegantur Innocentius X. & Alexander VII. ſiquidem ambo illi Pontifices nullatenùs voluerunt à prædeceſſorum ſuorum, qui S. Auguſtini de Gratiâ Chriſti doctrinam approbarunt, veſtigiiſ deſlectere; adeoque nec voluerunt ( quod etiam ſolemniter declararunt ) Auguſtini dogmata, quæ tuſſiſſima, incuſſaque ſentiebant, ullatenùs improbare aut labefactare. Quemadmodum de S. Auguſtini, ita quoque de S. Thomæ dogmatibus loquitur Alexander VII. tuſſiſſima ergo, & inconcuſſa manent etiamnùm S. Auguſtini, non minùs quam S. Thomæ dogmata de neceſſitate gratiæ per ſe efficaciſ in ſtatu naturæ lapſæ. Malè igitur hodie tantorum Magiſtrorum doctrina culpatur in eorum diſcipulis. Viſus quidem eſt ille adverſùs quem agimus, minùs S. Thomæ, quàm S. Auguſtini diſcipulos culpate, dum in anterioribus quibuſdam Theſibus dixit. *Lubenter fatemur ſuſtineri poſſe abſque omni nota gratiam phyſicè prædeterminantem, quam tenent Thomiſta non rejicientes gratiam merè ſufficientem.* Verùm in ultimis ſuis Theſibus videtur eodem loco habere Thomiſtas, quò & Lovanieneſes. Hæc ſunt verba quibus ad me loquitur Theſiſ ultimâ: *hinc ( nimirùm ex antedicto ipſius aſſerto, lubenter fatemur ſuſtineri poſſe &c. ) infero, velim nolim, ſuſtineri poſſe tuam doctrinam: idem enim ſentis quod ipſi; tantùm pro gratia phyſicè prædeterminante ſubſtitui cupis delectationem victricem gratiæ cœleſtis. &c.* Hiſ reſpondet more ſuo ruruſus inſclamando Conſtitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. quas pari ratione judicat æquè contrà Thomiſtas habere locum, ac contrà me. Nunc quæro ego, quomodò ergo lubenter ipſe fatetur ſuſtineri poſſe abſque notâ gratiam phyſicè prædeterminantem quam tenent Thomiſtæ non rejicientes gratiam merè ſufficientem? Scire ex ipſo velim quomodò ex hoc laqueo ſe extricabit, niſi alterutrum ( id eſt, vel quod jam, vel quod ante dixit ) retractando. Sed caveat ne iterum in novos laqueos incidat: etenim ſi ultimò dicta, nimirùm contrà Thomiſtas, retractet; corruunt omnia quibus Lovanieneſes ( quos, velit nolit, debet admittere non magis culpandos eſſe quam Thomiſtas ) accuſavit male doctrinæ: ſi verò priuſ, id eſt, pro Thomiſtiſ dicta retractet, jam ſcholam illam tam antiquam, tam latè per orbem Catholicum diſfuſam in quæſtione celeberrima, & præ omnibus quas tractat maximi momenti de hæreſi ſuſpectam facit. Sed ad propositam materiam de Maſſilienſium ſententiis redeamus, à qua duximus nonnihil deſlectendum, ut oſtenderemus quàm inani conatu dictuſ Author Theſeſ noſtras nuperas ſuis poſterioribus impetat.

#### CONCLUSIO TERTIA.

**E**X SS. Hilario & Proſpero colligitur quod Maſſilienſes adverſus quos agunt, ad perfeverandum in hoc ſtatu admiſerint neceſſariam eſſe aliquam gratiam internam. Verba Maſſilienſium in Epift. Proſperi ad Aug. ſunt: *Qui autem credituri ſunt, quive in ea fide QUÆ DEINCEPS PER DEI GRATIAM SIT JUVANDA manſuri ſunt, præſciſſe Deum ante mundi conſtitutionem.* Et poſtea: *pene omnium par invenitur & una ſententia, quâ propositum & prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam receperunt: ut ob hoc Deus alioſ vaſa honoris, alioſ contumelia fecerit quia ſinem uniuſcujuſque præviderit, & ſUE IPſO GRATIÆ ADJUTORIO in quâ futurus eſſet voluntate & actione præſierit.* Et S. Hilarius de iſſdem: *Cæterum ad nullum opus vel INCIPIENDUM, NEDUM PERFICIENDUM quemquam ſufficere poſſe conſentunt.* Item: *Et ipſi abominari ſe & damnare teſtantur, ſi quiſ quidpiam virium in aliquo remanſiſſe quo ad ſanitatem progredi poſſit, exiſtinet.* Et ruruſus, *in hoc ſOLO volunt à primo homine omnium diſtare naturam, ut illum integriſ viribus juvaret gratia volentem, ſine quâ perfeverare non poterat; hoſ autem amiſſiſ & perditis viribus credentes tantum, non ſolum erigat proſtratos verum etiam ſuffulciat ambulantes.* Si in hoc ſolo à primo homine omnium noſtrâm volunt diſtare naturam, ut illum integriſ viribus voluntatiſ juvaret gratia volentem ſine quo perfeverare non poterant, hoſ autem amiſſiſ &c. Ergo tam in nobiſ quàm in illo admittebant neceſſitatem gratiæ ad perfeverandum. Et nihilominuſ Maſſilienſium de adjutorio perfeverantiæ

tiæ sententiam à Prospero & Hilario fuisse improbatam, facile colligitur ex horum Epistolis ad August. in quibus istam eorum sententiam, veluti Augustini doctrinæ, potissimum traditæ in lib. de Corrept. & grat. contrariam; Augustino novis argumentis ab eo improbandam perscribunt. Nec minus clarum est ex toto lib. de bono persever. quod & ipse Augustinus sententiam Massiliensium de adjutorio perseverandi pro hoc statu improbaverit: totum siquidem librum de bono perseverantiæ Massiliensium sententiæ opponit; quin & pro parte librum de Prædestinatione Sanctorum. Ex quibus universis confectaneum est quod alterius generis adjutorium ad perseverandum in hoc statu admiserint isti Massilienses, & alterius generis Augustinus cum Prospero & Hilario. Patet porro ex Thesis nostris anterioribus de sententia Augustini circa prædestinationem & gratiam Christi, illum ad perseverandum in hoc statu requisivisse *adjutorium quo*, sive per se efficax, dans non tantum perseverandi possibilitatem, sed etiam ipsam perseverantiam. Massilienses ergo isti pro hoc statu solummodo admiserunt adjutorium quod Augustinus dicit esse primi status; id est, *sine quo non*, sive quod solummodo fieret efficax à determinatione voluntatis, id est, dans perseverandi possibilitatem, non ipsam perseverantiam: & ex proposito ex hac Massiliensium sententia, cum illi se opposuerit sanctus Augustinus, etiam consequitur quod hic sanctus Doctor ad perseverandum in hoc statu requisiverit gratiam per se efficacem. Pluribus hæc probanda non videntur, siquidem negari nullatenus potest quin dicti Massilienses ad perseverandum in hoc statu requisiverint gratiam aliquam internam: negari pariter non potest quin post Prosperum & Hilarium etiam sanctus Augustinus ex proposito illorum Massiliensium doctrinæ sese opposuerit. Ex quibus manifestè conficiet hæc duo, quod Massilienses illi ad perseverandum in hoc statu solummodo requisiverint adjutorium *sine quo non*; & quod S. Augustinus ad id requisiverit adjutorium quo.

#### CONCLUSIO QUARTA.

EX iisdem Prospero & Hilario colligitur quod dicti Massilienses etiam ad fidei initium necessarium censuerint quoddam gratiæ interioris adjutorium. Etenim de illis in hunc modum loquitur Sanctus Prosper in epist. ad S. August. *Nec considerant se gratiam Dei quam comitem, non præviā humanorum volunt esse meritorum etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundam suam phantasiā non negant esse preventas.* Quæ S. Prosper hic breviter, fusius in carmine de Ingratis persequitur, dum in hunc modum Ingratos alloquitur:

*Gratia qua Christi populus sumus, hoc cohibetur limite vobiscum &c.*

Addi hæc posset, nisi jam antè satis dictum, quod etiam Ripalda Societatis Jesu Theologus non dubitaverit quin dictis verbis S. Prosper describat adjutorium interioris gratiæ. Ex Hilario habemus quod antè nominatis Massiliensibus nihil prorsus displicuerit circa sententiam S. Augustini de gratiæ naturæ integræ. Nullas siquidem eorum querelas adversus istam Augustini sententiam refert Hilarius; quin addit: *in hoc solo volunt à primo homine omnium distare naturam, ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat; hos autem amissis & perditis viribus credentes tantum, non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciant ambulantes.* Non latebat ergò Massilienses, nec illis displicebat quod S. Augustinus sentiret, nil boni sinè interioris gratiæ adjutorio fieri potuisse à natura adhuc integrâ. Non poterat proinde ipsis non probari quod etiam in hoc statu, ad initium fidei requireretur gratiæ interioris adjutorium, modò hoc non foret alterius generis, quàm erat istud quod Augustinus ad perseverandum tribuit primo statui. Accedit quod istius generis adjutorium, nimirum sinè quo non, nihil omninò obstaret Massiliensium istorum intento, qui toti in hoc erant ut electorum à reprobis discretionem non divinæ prædestinationi aut gratiæ, sed voluntatis determinationi censerent esse tribuendam. Nam Prosper in epist. ad August. de illis ait in hunc modum: *Hæc eorum definitio ac professio est, omnem quidem hominem Adam peccante peccasse, & neminem per opera sua,*

sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari: Vniuersis tamen hominibus propitiationem qua est in Sacramento Sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, ut quicumque ad fidem & ad baptismum accedere voluerint salui esse possint: qui autem credituri sunt, quidē in ea fide qua deinceps per Dei gratiam sit iuvanda, mansuri sunt; praescisse autē mundi constitutionem Deum, & eos praedestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vitā bono sine excessibus esse prouiderit. Ideoque omnem hominem ad credendum & ad sperandum diuinis institutionibus admoneri, ut de apprehendendā vitā aeternā nemo desperet, cum voluntaria deuotioni remuneratio sit parata. Probatione non eget quod cum his omnibus optimē consistat requiri ad initium fidei interioris gratiæ adiutorium, modo solummodò tale quod omnibus detur, quodque non voluntatem, sed quam voluntas ipsa determinet. Nihil quoque hoc adiutorii genus vel apparenter officere exhortationis & comminationis utilitati, humanæ industriæ, aut studio virtutum, &c: secus (quod attinet Massiliensium æstimationem) si admisissent ad initium fidei necessarium esse adiutorium quò; cum hinc inferatur praedestinatio gratuita, de quā illi in hunc modum sentiebant: Hoc autem propositum vocationis Dei (ut de illis refert S. Prosper) quò vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori alii vasa honoris, alii vasa contumeliae sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis adferre: eò quod utraque parte superfluum labor sit, si neque rejectus ullā industriā possit intrare, neque electus ullā negligentia possit excidere. Hactenus ex Prospero & Hilario ostensum quod Massilienses ad fidei initium censuerint necessarium esse aliquod interioris gratiæ adiutorium: quod non minus probatur ex Augustino, quin in libro de bono perseverantiæ ita refert Massiliensium sententiam circa initium fidei, & eorumdem circa perseverantiā, ut inter eorum sententiam de initio fidei & de perseverantiā nequidem ullus differentia apex notari possit. Sed ii, inquit, qui solum initium fidei & usque in finem perseverantiā sic in nostrā consueuerunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda atque retinenda, Deum operari nostras cogitationes & voluntates; cetera verò ipsum dare concedunt. De bono persever. c. 17. Nunc autem in hunc modum arguere licet: dicti Massilienses ad perseverandum, ut ante ostensum, & fati notum est, admiserunt interioris gratiæ adiutorium, ergo etiam tale admiserunt ad initium fidei. Præterea sæpè sæpius Augustinus in eodem libro refellit utramque illam Massiliensium sententiam; nec tamen illam quam tenebant de initio fidei magis culpatur quam eam quam tenebant de perseverantiā, sed ambas culpatur æqualiter: ergo iuxta S. Augustinum ambæ erant culpabiles, sed non nisi æqualiter, adeoque sicut ad perseverandum, ita quoque ad initium fidei Massilienses requisiverunt interioris gratiæ adiutorium. Etenim si ad fidei initium non requisivissent gratiam internam, & ad perseverandum talem (quod jam constat) requisivissent; magis culpanda fuisset ipsorum sententia circa initium fidei quam circa perseverantiā: Debuisse proinde magnus ille Divinæ gratiæ Doctor aperte illis hoc ipsum ostendere, quandoquidem penes sententiam de initio fidei Massilienses sese non discrevissent à Pelagianis, secus penes sententiam de perseverantiā. Nec te moveat quod sæpius dictorum Massiliensium doctrina de initio fidei ab Aug. per totum penè librum de Prædest. Sanctorum fuerit reprobata; quia similiter per totum librum de bono persever. fuit reprobata eorumdem sententia de perseverantiā: Ex quibus non aliud conficitur quam quod S. Augustinus idcirco tam unam quam alteram eorum sententiam reprobaverit, quia tam ad initium fidei quam ad perseverantiā requisivit adiutorium quò, sive per se efficax; cum Massilienses ad utrumvis solum admitterent adiutorium sine non quo, sive possibilitatis. Nec rursus te moveat quod Augustinus non culpaverit Massiliensium sententiam circa ea quæ inter initium fidei & perseverantiā sunt media, id est, pudicitiam, continentiam, patientiam, &c. nam ad hæc omnia censebant esse necessarium adiutorium quò. Dicimus ergo Massiliensium qui à Prospero & Hilario in Epistolis ad Aug. accusati, & ab ipso Augustino

gustino in libris de prædest. SS. & de bono persever. reprehensi sunt, eam fuisse sententiam, ut quamvis censerent ad initium fidei & perseverantiam admittendum adjutorium sine quo non, sive possibilitatis; ad reliqua tamen censerent necessarium adjutorium quò, sive per se efficax: siquidem Augustinus, qui, ut fuscè in anterioribus Thesisibus ostendimus, ad omnem actum salutarem requirebat adjutorium quo, sive per se efficax, pluries apertissime testatur quod Massilienses isti (de aliis non loquimur) circa cæteros actus secum consenserint, eosque actus à Deo donari (quod secundùm phrasim Augustini est admittere auxilium quò) concesserint. Præter hoc, scribit Augustinus Prosperò & Hilario, quod in questionem venit (id est circa initium fidei & perseverantiam OMNIA MEA, sicut scribitis SE PROFITENTUR AMPLECTI. De bono persever. cap. 20. & eod. cap. initer initium fidei & perfectionem perseverantia, media sunt illa quibus rectè vivimus, qua ipsi etiam donari nobis, fide impetrante consentiunt. Et cap. 17. ejusdem libri. Ea verò qua nobiscum Dei dona esse non negant, ut nobiscum Pelagianum demoliantur errorem; sicut est pudicitia, continentia, patientia, & cetera quibus rectè vivitur, & ex fide impetrantur, &c. Huc etiam servire potest locus antè in hâc Conclusionem citatus: sed ii qui solum initium fidei, & usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate... CÆTERA VERÒ IPSUM DARE CONCEDUNT.

#### CONCLUSIO QUINTA.

Uti sententia S. Augustini de necessitate gratiæ per se efficacis in hoc statu naturæ lapsæ infert prædestinationem gratuitam, sive ante prævisa merita; ita quoque Massiliensium sententia de gratiæ possibilitatis ad initium fidei & perseverantiam, infert prædestinationem post prævisa merita: hinc nemo qui de S. Augustini & Massiliensium sententiâ circa gratiam (scilicet pro hoc statu) ritè instructus est, dubitare potest quin Augustinus asseruerit prædestinationem gratuitam sive ante prævisa merita; Massilienses verò post prævisa merita: sed probandum nobis est quod ista Massiliensium de prædestinatione sententia fuerit à SS. PP. gratiæ Christi Defensoribus improbata. Pro quo notandum: S. Prosper præmissis his verbis: Reum futurum me esse crederem, si ea qua valdè perniciosa esse intelligo, ad specialem Patronum fidei non referrem, quibusdam interjectis, subjungit hanc Massiliensium professionem, quam anteriori Conclusionem aliâ occasione retulimus, omnem quidem hominem Adam peccante peccasse; & neminem per opera sua, sed Dei gratiam regeneratione salvari: universis tamen hominibus propitiationem qua est in Sacramento sanguinis Christi sine exceptione esse propositam, ut quicumque ad fidem & ad Baptismum accedere voluerint, salvi esse possint. Qui autem credituri sunt, quive in ea fide qua deinceps per Dei gratiam sit juvanda mansuri sunt, prævisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hâc vitâ bono sine excessuros esse præviderit... Hoc autem propositam vocationis Dei: quò vel ante mundi initium, vel in ipsâ conditione generis humani, eligendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori alii vasa honoris alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & Sanctis occasionem teporis adferre: eò quòd utrâque parte superfluis labor sit, si neque rejectus ullâ industriâ possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos quàm Deus desinivit accidere. Et postea: penè omnium par invenitur & una sententia, quâ propositum Dei secundum præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem utriusque præviderit. Ita S. Prosper improbata suo judicio Massiliensium dogmata S. Augustino defert improbanda. Similiter Hilarius ex ipsorum mente: novum, ait, & inutile esse prædicationi quod quidam secundum propositum eligendi dicantur. Et rursus: si sic prædestinati sunt ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecus instantia? Hæc de iisdem Hilarius. Hanc Massiliensium sententiam quemadmodum Augustino, ut ab eo reprobendam exhibuerunt Prosper & Hilarius, ita & ipse Augustinus in libris de Prædest. SS. & de bono persever. reprobavit; ad quos harum Thesisum Lectorem remittimus, hâc unicâ contenti sententiâ de Prædest. SS. c. 18. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti

*Et immaculati* ( verba sunt B. Pauli ad Ephes. cap. 1. ) non ergo quia futuri eramus , sed ut essemus : nempe certum est , nempe manifestum est , idè quippè tales eramus futuri , quia elegit ipse prædestinans ut tales per gratiam ejus essemus.

#### CONCLUSIO SEXTA.

Qui modos loquendi temporibus istis , Massiliensium scilicet , Prosperi , Hilarii & Augustini usitatos non intelligunt , facillè de Massiliensium sententiâ circa initium fidei aliter quàm nos in his Thesisibus asserimus , sentiendum putant ; dum nimirum inter Massiliensium sententias legunt initium Fidei esse ex naturæ viribus , non esse donum Dei , Deum illud non operari , aut similia : Verùm nihil inde probari , ex eo patet , quod phrasi illorum , hæc omnia aliaque similia etiam dici potuissent de perseverantiâ Adami excluso lapsu , aut modò dici possint de perseverantiâ bonorum Angelorum : dicit enim Augustinus , *De primo homine , ut vellet perseverare , Deum in ejus libero relinquisse arbitrio . Tales vires habebat ejus voluntas , ut ei perseverandi committeretur arbitrium non habuisse adjutorium quò Deus in illo operaretur ut vellet ; secundò statui proprium esse quod in hoc gratiâ fit ut homo velit , ut eis perseverantiâ ipsa donetur . In hoc Deus operatur ut velint . In hoc perseveraret per virtutem Dei .* Hæc ex l. de corrupt. & grat. Non discedere à Deo non esse omninò in viribus liberi arbitrii quales nunc sunt , fuisse in homine antequam caderet : post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam voluisse pertinere ut homo accedat ad Deum , neque nisi ad gratiam suam voluisse pertinere ut non recedat ab eo. De bono persever. c. 7. humana merita periisse per Adam. *Humana merita , inquit de prædest. SS. c. 15. conticescant , quæ perierunt per Adam , Et regnet qui regnat Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrum .* Ratio istarum locutionum hæc est : etsi in primo statu requirebatur ad perseverandum adjutorium interioris gratiæ , illud tamen adjutorium non præstabat nisi possibilitatem , quam oportebat per vires liberi arbitrii determinari ad actum ; nunc autem vice versâ voluntatis possibilitatem gratia determinat ad actum . Quare sicuti merita jam magis adscribenda sunt gratiæ , quàm libero arbitrio ; ita tunc , juxta modum loquendi Augustini , magis erant adscribenda libero arbitrio , quàm gratiæ . Ex his facillè est videre , quod ante expressæ Massiliensium locutiones nil probent contrà assertionem nostram de eorum sententiâ circa initium Fidei , de quibus vide Vincentium Contenson tom. 5. dissert. 3. historica de erroribus circa gratiam . Ad objectionem petitam ex condemnatione hujus : *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ necessitatem ad singulos actus , etiam ad initium Fidei : sed in hoc erant hæretici , quod vellent eam gratiam talem esse , cui posset voluntas humana resistere , vel obtemperare , cum Contensonio respondemus jure meritò propositionem illam fuisse proscriptam : quia cum complexa sit , & bimembris , ut falsâ sit & hæretica , sat erit alterum membrum falsitate & hæresi sordere .* Porrò in hoc non poterunt esse Semipelagiani hæretici quod dixerint gratiæ interiori & prævenienti posse hominem resistere vel obtemperare ; cum secundum fidem certum sit hominem posse gratiæ cuilibet resistere vel obtemperare . Dicitis nostris de sententiâ Massiliensium circa initium Fidei etiam nil officit quod quidam Semipelagianorum circa initium Fidei magis à Catholicis ad Pelagianos deflexerint , quàm hic dicamus de ante expressis Massiliensibus : sufficit enim intento nostro quod illi , adversus quos scripserunt Prosper , Hilarius & Augustinus senserint ut diximus , quodque illi ab his Patribus in hoc puncto fuerint improbatii .

#### A P P E N D I X.

*Allegantur quadam ex Thesisibus ultimis istius adversus quem sapius egimus , Et modo adhuc agimus , deinde ex ordine istis respondetur .*

I. **T**otus Thesisium istarum scopus est ostendere quod Lovanienses , & inter illos Ego , non rectè sentiamus de gratia & libertate , quia circa eandem materiam idem aliquid sentit Author quispiam condemnatus , ex. gr. Lutherus vel Calvinus .

II. Celeberrimum illud discrimen inter adjutorium perseverandi datum antè lapsum & adjutorium

adjutorium perseverandi quod jam datur, assignatum à S. Augustino in libro de Correptione & Gratiâ sic interpretatur, ut solummodò consistat inter adjutorium eorum qui non perseverant, sive illi sint de primo, sive de secundo statu, & adjutorium illorum qui ipsâ perseverant, sive rursus sint de primo, sive de secundo statu; ut proinde non sit penes essentiam, aut potentiam adjutorii, sed penes determinationem ipsius voluntatis, & eventum.

III. In Thesibus suis jam pridem editis dixerat quod libertatem hac definitione, *facultas quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere & non agere* comprehensam, Aristoteles cum Peripateticis, Divus Thomas cum Theologis, S. Augustinus cum Patribus, Traditio cum Scripturis, Pontifices Romani cum Conciliis contra Astrologos docuerint, probaverint, definiyerint. Prodiit eodem anno, scilicet 1681. liber Censoris nomine suppresso, & Authoris mentito probaturus singula, quem nuperæ meæ Theses de sententiâ Augustini conclusione 16. nihil prorsus probare (excipio quæ de Theologis recentioribus refert) ostenderunt: quia ne unum quidem assignat, qui in definitione libertatis habeat verba, in quibus punctum contentionis consistit, *positis omnibus ad agendum prærequisitis*. Nunc verò in ultimis Thesibus adversus quas jam agimus pro ista definitione allegat quemdam Joannem à Bononiâ, Ruardum Tapperum, & Joannem Wiggers hujus Academiæ Doctores. Deinde subdit ex Patribus, Pontificibus, Conciliis ostensum esse quod libertas sit *potentia agendi & non agendi*, & rursus ne unum quidem ex his allegat qui definitioni addat illas particulas *positis omnibus ad agendum prærequisitis*, sentit enim has sufficienter contineri in illis *potentia agendi & non agendi*.

IV. Ex sententia, quæ etiam nostra est, asserente amorem beatificum liberum esse, etiam à necessitate, dicit consecutaneum esse quod Spiritus Sanctus à Patre & Filio spiretur liberè. Præterea rursus objicit quod ab amore beatifico non possit cessari nisi sub conditione impossibili.

V. Gratiâ quam vocat *congruam*, dari ex speciali benevolentia, & nihilominus vult SS. Angelis datam esse gratiâ congruam.

VI. Innuit etiam omnibus parvulis dari gratiâ sufficientem, quâ si benè uterentur parentes, etiam per eosdem juvarentur.

VII. Augustino, ut ait, Augustinum opposuit, dum hic in epist. ad Galat. dixit, *quod amplius nos delectat secundum id operemur necesse est*, & in Confess. *& non faciebam quod & incomparabili affectu amplius mihi placebat*.

VIII. Innuere videtur (etiam oppositum directè potius exprimat, ut patet ex conclusione 3. harum Thesium) quod sententia Lovaniensium de delectatione victricis potius reprobata sit quàm Thomistarum de gratiâ physicè prædeterminante, quia Thomistæ gratiâ physicè prædeterminantem non tantum astruunt pro statu naturæ lapsæ, sed etiam pro statu innocentie.

IX. Dicit quod Sixtus V. doctrinam P. Lesii de prædestinatione vocaverit sanam.

X. Persuadere nobis vult quod legitimum testimonium prorulerit quo probaret Lovanenses Deputatos de doctrinâ contentâ libro qui dicitur Censura Facultatum Lovaniensis &c. falsò testatos esse eam posse sine offensâ Sanctæ Sedis teneri & doceri.

XI. Jam toties postulavi ut pro defensione prohibitionis Toletanæ Methodum remittendi & retinendi peccata prohibentis, designaret in Methodo saltem unam ex condemnatis Jansenii: in ultimis suis Thesibus jubet ut id expectem ab istâ Inquisitione, aut ejus capite.

XII. Dubitare videtur an quæ in Thesibus de sententiâ Augustini conclus. 18. citavi ex Reverendissimis Walemburgiis fratribus pro Thomistarum & nostrâ sententiâ de libertate reverè in libris eorum habeantur.

*Respondetur*

AD 1. Jam responsum est in conclusione 1. & 2. harum Thesium occasione sententiæ Massiliensium, quos circa gratiam Christi diximus malè culpari in omnibus quia reprobati sunt in aliquibus.

Ad 2. Ex Thesis nostris de doctrinâ Augustini ferè per omnes conclusiones patet quod illud non subsistat, cum evidenter, ut existimamus, in illis ostensum sit quod adjutorium perseverantiæ quale modo datur ex mente S. Augustini sit efficax per se, id est, tale, ut per illud non habeatur sola volendi & perseverandi possibilitas, sed ipsemet actus, sive ipsamet volitio & perseverantia; ita ut voluntas non determinet gratiam, sed gratia voluntatem. Porrò hujus adjutorii proprietates nusquam Augustinus tribuit adjutorio Angelorum perseverantium dicendo istud tale esse, *quò factum sit ut S. Angeli voluerint; item quo ipsis perseverantia ipsa donaretur, ut non nisi perseverantes essent; item quò operaretur in ipsis & velle; quò item factum sit ut divinâ gratiâ insuperabiliter agerentur; & denique quo sit factum ut Deo donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nolent*; & ex adverso nunquam adjutorium Angelorum etiam perseverantium distinguit ab adjutorio Adami non perseverantis, sed ei, quotiescumque datur occasio prorsùs adæquat. *Si autem hoc adjutorium (scilicet Adami antè lapsum) vel Angelo, vel homini cum primùm facti sunt, inquit, defuisset; quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique suâ culpâ cecidissent.* De Correp. & grat. c. 11. Et rursùs de bono persever. cap. 7. *Qui non infertur in tentationem non discedit à Deo. Non est hoc omninò in viribus liberi arbitri quales nunc sunt: fuerat in homine antequàm caderet: quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantiâ quantum valuerit apparuit in Angelis, qui Diabolo cum suis cadente in veritate steterunt.* Præterea si adjutorium SS. Angelorum quemadmodùm in terminis asserit hic Thesis Author, fuerit adjutorium quo, adeoquæ ejusdem in hac parte rationis cum adjutorio perseverantiæ quod jam datur; quomodò Augustinus cap. 7. de bono persever. non solùm dicit non discedere à Deo, sive perseverare, in primo statu fuisse *in viribus libri arbitrii, sive hominis, sive Angelorum, etiam perseverantium, post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deum voluisse pertinere ut homo accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam voluisse pertinere ut homo non recedat ab eo?* Deindè si ita se res habet, ut hic Thesis author dicit, non potiori titulo merita nostra vocanda erunt juxta phrasim Augustini merita gratiæ, quàm juxta eandem merita Angelorum, aut Adami antè lapsum, quod non consistit cum hâc sententiâ Augustini: *humana merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet quæ regnat Dei gratia.*

Ad 3. Pro responsione sufficiunt quæ in Thesis nostris de sententiâ Augustini diximus potissimùm Concl. 15. 16. & 17. Ex quibus patet quam verè dixerit Thomas Lemos, hanc definitionem cum suâ explicatione non ex Aristotele aut doctrina ejus, non ex Augustino, aut SS. Patribus, non ex Magistro sententiarum, S. Thoma, aut Doctore aliquo ex gravioribus didicisse recentiores. Patet quoque ex concl. 18. quomodò ista definitio cum explicatione quam hic author & alii Molinistæ illi tribuunt mirè faveat sententiæ Hæreticorum negantium libertatem arbitrii. Porrò quod Author hic rursùs non possit vel unum allegare ex omnibus illis (excipio recentiores) quos tam magnificè pro illâ definitione citaverat, signum est quod nostra & Thomæ Lemos sententia de novitate istius definitionis sit verissima. Quod ait particulas illas, *possis omnibus ad agendum prærequisitis*, sufficienter contineri in his, *patientia agendi & non agendi*, nullâ prorsùs vel apparenti ratione, nullâ omninò, nisi ipsius solius autoritate nititur: nam libertatem nostram esse potestatem agendi & non agendi, & nos, & Thomistæ omnes, omnesque Catholici lubentissimè admittimus; sed quod ad libertatem requiratur ut cum omnibus ad benè agendum prærequisitis componi possit oppositum actus, & nos, & Thomistæ negamus, prout & cæteri defensores gratiæ per se efficacis. Punctum ergò controversiæ Thomistæ, Lovanienfes,

nientes, aliosque defensores gratiæ per se efficaciæ inter & Molinistas aliosque gratiæ, quam congruam vocant, assertores in his particulis veritur, *positis omnibus ad agendum prærequisitis*, quas idcirco rursus peto ostendi expressas in definitione libertatis ab Aristotele, D. Thomâ, Augustino &c. vel saltem ab aliquo illorum. Quando Joannem à Bononiâ, Ruardum Tapperum & Joannem Wiggers pro istâ definitione allegat, causam suam, quæ requirebat probationem ex antiquitate, prodit potius quam defendit.

Ad 4. negamus istam consequentiam: non enim sequitur, amor beatificus procedit à voluntate non ut natura, sed ut voluntas est, id est, à voluntate ex rationis ductu semetipsam determinante ad agendum prout vult, ergo etiam Spiritus S. procedit à voluntate non ut natura, sed ut voluntas est. Cæterum ex pertinenti primo Thesibus nostris de sententiâ Augustini subjuncto patet quanti præter Aug. & Thomam sententiam nostram de libertate amoris beatifici, tradiderint vel conformiter ad sua principia tradere debuerint. Optaremus ut tot, vel saltem aliquot (agendo de illis qui fuerunt antè Almainum, qui primus in definitione libertatis dicitur posuisse has particulas, *positis omnibus &c.*) assignaret Adversarius noster pro sententiâ negante libertatem amoris beatifici. Quod hic ait de conditione impossibili, verum id est in sensu composito, prout & in omnibus actibus bonis, secundum Thomistas; sed falsum in diviso: nam in præsentem cum prærequisitis ad Amorem Beatificum consistit potestas amorem illum omittendi, ut latius ostensum in dictis Thesibus nostris de sententiâ Augustini.

Ad 5. Si gratia congrua data fuerit ex speciali benevolentia, quæ nimirum ipsis præ aliis habentibus gratiam non congruam à Deo donata fuerit; consecutaneum videtur, ut idcirco Deus ipsis præ his voluerit gratiam congruam, quia illis præ his voluit vitam æternam; adeoque quia illos præ his ante meritum prævisionem Prædestinaverit ad vitam æternam: atque ita videtur Adversarius noster debere sustinere sententiam de Prædestinatione antè prævisa merita. Sed quomodo cum hæc sententiâ consistit quod in suis Thesibus ait de SS. Angelis, datam nimirum esse illis gratiam congruam? Censetne ergo quod Angeli fuerint prædestinati ante prævisa merita? Haud equidem mihi persauserim, quandoquidem alibi sententiam de Prædestinatione post prævisa merita; non solum pro statu naturæ innocentis, sed etiam pro hoc statu, dicat esse suam.

Ad 6. Quod parvuli potuerint per parentum adjutoria perducere ad Baptismum, aliquando, sed non semper verum est: contingit enim nonnumquam ut matres prægnantes aut fulmine feriantur, aut ab aliis hominibus perimantur, naufragiis morbisque absumentur invitæ, aut fœtus in utero extinguatur; vel, ut ait Augustinus, *plerumque festinantibus Parentibus & paratis Ministris ut Baptismus parvulo datur, Deo tamen nolente non datur, qui eum parvulum in vitam non tenuit ut daretur.* De bono persever. c. 12. Quomodo ergo ejusmodi infantes habent auxilium sufficiens ad salutem? An non potiori ratione dici posset quod adulti omni prorsus internâ gratiâ destituti habeant auxilium sufficiens ad salutem, cum sine ullâ comparatione longè potiori jure de his, quam de istis parvulis dicendum sit quod salvari possint? accedit etiam quod hi ideo non salventur quia non volunt, quod de istis parvulis nullâ verisimilitudinis specie dici potest. Denique demus quod salus alicujus adulti tota esset posita in voluntate alterius hominis, nec tamen hic, quamvis posset illum salvare, vellet; an ideo dandus erit ille adultus habuisse auxilium sufficiens ad salutem? An simili ratione non poterunt Dæmones omni gratiâ destituti etiam nunc dici habere auxilium sufficiens ad salutem, cum saltem Deus, si vellet, eos salvare posset? De his videre licet quæ doctissimè majores nostri item quæ Facultas Theologica Duacensis disserunt in suo judicio scholastico adversus assertionem 17. Discipulorum Molinæ.

Ad 7. Quid est Augustinum Augustino opponere, nisi Doctorem Maximum contradictionis arguere? Sed perperam, hæc enim bene consistunt, quod semper operemur secundum id quod magis nos delectat, & quod non semper operemur secundum id quod velut magis delectabile appetimur: fieri namque potest ut ejusmodi objecto non correspondeat nisi delectatio admodum tenuis ex parte subjecti, quæ proinde facile superetur per delectationem aliam ex parte subjecti fortiolem, licet hæc delectatio sit circâ objectum, quod appetitativè sit minus

minus delectabile. Et hoc modo contigit circa S. Aug. dum voluntas ejus nova, quæ ipsi erat ut Deum gratis coleret, nondum erat, ut ait l. 8. Conf. c. 5. idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Hoc modo contigit ut non faceret quod incomparabili affectu amplius ipsi placebat, amplius scilicet ex parte objecti, non amplius ex parte subjecti. Fremebam spiritu, inquit idem Augustinus, indignans turbulentissimâ indignatione, quod non irem in placitum & pactum secum Deus meus, in quod eundem esse omnia ossa mea clamabant... Non solum ire, verum etiam pervenire illuc nihil erat aliud quàm velle ire; sed velle fortiter & integrè, non semisua etiam hæc atque hæc versare & jactare voluntatem, cum hac parte assurgente, cum alia parte cadente luctantem. l. 8. Confess. cap. 8. per adversarium citato.

Ad 8. Fateamur quod Thomistæ necessitatem gratiæ efficacis etiam extendant ad statum innocentie, ubi nos tantum ad statum naturæ lapsæ; sed quâ specie verisimilitudinis propterea magis sumus arguendi nos quàm Thomistæ?

Ad 9. Quomodo Sixtus V. dum in suo Decreto dicit controversias fuisse ortas in quibusdam articulis sacre doctrine, ut ait Thomas Lemos, vel sane doctrine, ut alii, dixit articulos Lessi esse sane doctrine, cum illud sane doctrine nullo titulo possit magis intelligi dictum de doctrina unius, quàm alterius inter se controversentium? Præterea si ita est, cur à doctrinâ Lessi, ut jam toties petitum est, recedere jussa est tota Societas per decretum sui Præpositi? Rursus si ita est, cur Societas non audeat tenere 3. assertiones de Scripturâ sacrâ quæ primo loco improbantur in Censura Lovaniensi & Duacensi.

Ad 10. Adversus Deputatorum nostrorum testimonium, hoc scilicet quo testantur ab Assessore S. Officii sibi dictum esse, quod doctrina contenta libro, qui dicitur Censura Facultatum Lovaniensis &c. possit sine offensâ S. Sedis teneri & doceri (nec enim aliis terminis illud unquam expressi, quidquid de variatione cavilletur) allegavit tria testimonia sine teste. Testatur ergo qui non nominatur (dicamus homo in genere) de iis quæ dicta sunt à Cardinalibus quos vocat N. & N. Testatur etiam de illis quæ ait alias sibi dicta, ab Assessore S. Officii: verum si homo in genere in rerum naturâ existeret, peterem ab illo, primò an examen Censuræ istius non sit à suâ Sanctitate petitum, & jussu ejusdem institutum, & tandem peractum? Secundò nullumne examine peracto sit judicium secutum, & quale? Tertio cur hominem in genere, si vera dicat, pudeat sui nominis?

Ad 11. Fateor, à mensibus ferè sedecim scripsi, ut refert Toletum rogans ut ipsæ Methodi doctrinæ ob quas ibi prohibita fuit mihi transcriberentur; sed cum hætenus nihil responsum sit; fat opportunum est ut hic adversus quem modo agimus tandem aliquando designet in Methodo unam ex condemnatis Jansenii, quandoquidem ipse defensionem prohibitionis Toletanæ jam pridem susceperit. Advertat interim Lector ex ejusmodi tergiversationibus æquitatem Judicii S. Inquisitionis Romanæ, quæ Methodum toties & à tam multis accusatam, deinde jussu Sanctissimi Domini Examinatum prius absolvit quàm particularis illa Inquisitio Diocesis Toletanæ condemnarit.

Ad 12. Quæ ex Reverendissimis Walemburgiis citavi habentur loco à me designato, id est, ut accuratius exprimam, tomo 2. pag. 42. edit. Colon. anni 1670. Cæterum adverto quod Thesium Author se fatiget conquiro hinc inde adversus me quosdam hujus Academiae Doctores, & quidem sæpius, prout iterum in his Thesibus mihi opposuit Ruardum Tapperum & Thomam Stapletonum cum tamen existimem me allegasse sufficientem rationem cur nolim premi illorum autoritate: nam de R. Tappero, ut dixi in anterioribus Thesibus Historico Theologicis conclus. 3. testatur Guilielmus Estius eum à magnis viris reprehensum fuisse quod in suis de gratiâ & predestinatione opinionibus, non rectè ambularet secundum veritatem Ecclesiasticæ doctrine. Vide ib. conclus. 11. de Thomâ Stapletono loquitur Lemos t. 3. l. 4. part. 2. tract. 4. cap. 5. in hunc modum, Fausti, Cassiani & aliorum Semipelagianorum sententiam redolere manifestum est. Cætera vide ibid.

Denique ut verbo absolvam, profiteor me hic nil deferre paucis quibusdam Doctoribus Lovaniensibus qui in materia gratiæ à Majoribus suis eum in modum defecerunt.

#### P E R T I N E N S.


Dum Adversarius noster in argumento toties à se usurpato, & in 1. harum Thesium conclus. à nobis refutato, probaverit valere consequentiam, sive formam; tempus erit examinandi ejus præmissas, sive materiam.

F I N I S.













Theles  
Doctorū  
Academiae  
Lovan.

Th

2170